



~~Ref.~~
R



24

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JO. PHILIPPUS
Streit, J. U. D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad L. Pupillus 49. ff. de Oblig. & Act.

ET
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD DIEM XXII. AUGUSTI M DCC XXXV.

LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME
INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

FACULTATIS JURIDICAE
BRUNNENSIS
JO. PHILIPPUS
J. U. D.

EMINENTISSIMI AC CELEBRATISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MONTANI CONSILII
RIS REGIMIS

AD AUDIENDAM LECTIÖNEM CURSORIAM
CUM PUBLICO USU

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE DIVINA LEGIS NATURE ET
LECTOREM BENEVOLOM HUMANISSIME
EVITAT

LEONARDUS
Typis JOH. CHRISTOPH. FRANKING. ASTR. T. POST.





Naturali juri conveniens est; inquit imperator Justinianus in §. 6. *Inst. de Atrilian. Tut.* ut is, qui perfectæ ætatis non est, alterius tutela regatur, sive ut Arist. *lib. 1. Polit.* loquitur; naturæ jus est, ut quod se per imbecillitatem sui regere nequit, id alterius præstantioris arbitrio gubernetur. *Wesemb. ad dict. §. 6.* cum enim videamus, id ætatis homines corpora sua continuò agitare, fit ut ipsorum animi & mentes etiam perpetuò agitentur. Quam igitur mobilia sunt ipsorum corpora, tam etiam mobiles & lubrici sunt ipsorum animi, ex perpetua illa corporis & mentis agitatione. *Manz. eod. n. 1.* valde itaque conveniens est, ut impubes alterius tutelâ, vel curâ regatur, & quidem secundum ætatis pupillaris gradus, quorum primum infans occupat: alterum infantia proximus: tertium pubertati proximus. Sed infantia aliter æstimatur jure naturæ, aliter jure positivo. Jure naturæ infans dicitur, qui nondum habet tantum rationis usum, ut bonum à malo distinguere sufficienter possit. Jure civili infans dicitur, qui nondum complevit annum septimum. *L. 18. Cod. de jur. delib. L. 1. §. 2. in fin. ff. de administ. tut. L. 14. ff. de Spons.* Quis verò dicatur infantia proximus, quis pubertati, non una omnium est sententia. Sunt, qui tempus, quod inter annum septimum & decimum quartum interjacet, in duos semisses dividant, ac unum infantia, alterum pubertati tribuant. Alii judicis arbitrio æstimandum id relinquunt, ac ex moribus, ex

ante acta vitâ, ex captu & astutia dimetiendum existimant, quæ opinio non displicet, sæpe enim contingit, ut quis exultâ infantia naturali, nihilominus tamen adhuc maneat infans civiliter, & vice versâ. Sic v. g. si præcocitas ingenii annos prævertat, ac quis ante completum septennium tantum acquirat rationis usum, ut inter bonum & malum possit distinguere, talis est quidem adhuc infans civiliter, at non item naturaliter. Sic e contra, si quis annum septimum jam compleverit, & tamen necdum tam defæcatum habeat intellectum, ut actuum à se possibilem honestatem aut malitiam sufficienter possit assequi, talis erit infans naturaliter, non item civiliter. Inde sequitur, quod infans naturâ talis non possit ullum contractum propriè talem validè inire, licet fortè annum septimum jam excefferit, non enim potest elicere deliberatum & serium consensum; & quod infans tantum civiliter talis possit ex natura rei, ac præcindendo à lege positivâ, validè contrahere, & contrahendo efficaciter obligari. Imo ad obligabilitatem ex contractu plus non requiritur, quàm ut honestas vel malitia objecti possibilis sufficienter intelligatur. Proinde probabiliter defendi potest, quod infans duntaxat civiliter talis etiam jure positivo non sit ad contrahendum simpliciter inhabilis, sed possit saltem tutore auctore validè contrahere. Quia omnes leges, in quibus asseritur, quod ante completum septennium quis nequeat contrahere, ita possunt accipi, ut dicantur loqui ex præsumptione, quod quis ante illud tempus non habeat adnuc rationis usum, ut negotii gravitatem pro merito valeat ponderare, si verò hæc præsumptio sit falsa, nil jam impediet, quo minùs validè possit contrahere, adeoque sine sufficienti necessitate contenditur, quod jura personam infantis simpliciter & absolute voluerint ad contrahendum reddere inhabilem. Dicitur quidem in *§. 9. Inst. de inut. stip. infan-tem non multum à furioso distare*, Item, *nullum habere intellectum*. Verùm textus de eo loquitur, qui non tantum civiliter, sed insimul etiam naturaliter est adhuc infans; nam qui judicium habet tam maturum, ut intelligat, quæ agit, multum à furioso distat. Potest tamen infantia major, seu pupillus,

pupillus, accedente auctoritate tutoris, inire omnis generis contractus, sive dein sit proximus infantia, sive pubertati. *per §. 9. instit. de inutil. stipul. L. 9. ff. de acquir. hered. L. 1. §. 13. de O. & Act. L. 6. ff. Rem pupill. salu. for. L. 5. ff. de R. I.* in quibus locis perspicue traditur, benigne receptum esse, ut is, qui dari potest, & stipulari, & promittere, & hereditatem adire, & omnia gerere, tutore auctore, possit. Et quamvis in iisdem locis dicatur de proximo infantia, quod intellectum nullum habeat, quod nihil sciat, aut discernat, quod non intelligat, quæ agit; id tamen cum grano salis intelligendum & eo sensu exaudiendum est, nempe tam intellectu firmo instructum non esse proximum infantia, ut perfectissime assequatur omnia quæ agit. Si enim talis omni intellectu esset destitutus, nec tutore auctore quicquam posset. Deinde, major annis septem contrahere potest sponsalia. *L. 14. ff. de Sponsul.* ergo supponitur habere tantum rationis usum, ut intelligat, quod agit, quia sine deliberato consensu valere non possunt Sponsalia. Validè itaque contrahit pupillus tutore auctore, dummodo non hoc agatur, ut res immobilis aut mobilis pretiosa alienetur; tunc enim præter tutoris auctoritatem insuper decretum Magistratus debet intervenire. *L. 4. Cod. de præd. min. sin. decret. non alien.* si verò absque tutoris auctoritate contrahere velit, multum interest, quale sit illud negotium, quod pupillus se solo vult gerere, an unilaterale, sive tale, ex quo unus tantum contrahentium obligatur; num bilaterale. Si unilaterale, ulterius perpendendum, an hoc agatur, ut pupillus alteri obligetur, contractus absque tutoris auctoritate initus est plane nullus, adeoque non obligatorius. Si verò id agatur, ut alter pupillo obligetur, contractus etiam sine tutoris interventu initus, est validus, ac ius æctivum pupillo generat. Hinc rectè inferitur, posse pupillum etiam sine tutoris auctoritate validè stipulari. *primè. instit. de aucto. tut.* item posse ipsum omnia ea sine tutore suo accipere, quæ sine obligatione vicissim quid præstandi ex causâ merè lucrativa offeruntur, *L. 9. pr. ff. d. t.* causâ enim ista ita sunt comparatæ, ut per eas non possit non conditionem suam facere meliorem. Si verò negotium

aliquod ponatur bilaterale, sive tale, ex quo uterque contrahentium obligatur, ulterius dispiciendum, an id ad substantialem perfectionem suam verum utriusque contrahentis consensum exigat, nec ne. Si prius, tutoris auctoritas omnino est necessaria, qua non interveniente negotium quidem non est omnino nullum, sed tamen claudicat, siquidem alter, qui eum pupillo contraxit, obligationem subit, & ad implendum cogi potest: sed pupillus non obligatur. *d. pr. inst. de auctor. tut. l. 13. §. 29. ff. de act. empr. vend.* licet enim aliàs, quod in uno correlativorum est statutum censeatur etiam statutum in altero; id tamen huic casui aptari nequit, sed id tunc demum procedit, quando respectu utriusque correlativi eadem subest ratio, quæ in hoc casu planè diversa est. Si verò posterius, multum videtur referre, quasi consensu negotium perficiatur, an ficto, sive legis dispositione inducto, num verò presumpso, sive tali, qui ex præcedente facto elicitur. Sic v. g. si quis rem cum pupillo communem habeat, aut etiam ipsius negotia vel tanquam tutor, vel negotiorum gestor utiliter gesserit, dubitandum non est, quin personam pupilli sibi habeat efficaciter obligatam. *l. 46. ff. de oblig. & act. l. 29. ff. commun. divid. l. 21. §. 1. de negot. gest.* in ejusmodi enim negotiis ipsa lex pupilli consensum supplet, quia videbatur expedire pupillo, ex hujus generis negotiis sine tutore posse obligari, tum quia in ejus utilitatem redundant; tum quoniam ita sunt comparata, ut non possit in iis tutoris auctoritas commodè intervenire. Ex posterioris verò generis negotio pupillus non aliter obligatur, quàm si tutoris auctoritas accedat. Sic si pupillo hereditas sit delata, is eam aliter adire non potest, quàm tutore auctore, quo non interveniente aditio est planè nullà, ita ut nec pupillus aliis, nec alii pupillo obligentur *§. 2. inst. de auctor. tut.* Quamvis enim alii contractus sine tutoris auctoritate initi non sine omnino nulli, sed claudicant, aditio tamen hereditatis hoc modo claudicare nequit, sed debet vel simpliciter esse vailda, aut planè nulla. Ideo enim alii contractus claudicant, quia contrahentibus imputari potest, quod sine tutoris auctoritate contraxerint, cum tamen sciverint, aut saltem

tem scire debuerint, pupillum sine tutore suo non esse obligabile. At verò creditoribus hereditariis ac legatariis aliquid imputari nequit, cum non eorum factò veniat obligatio. Variæ circa hanc materiam occurrunt quæstiones, de quibus pluribusque aliis occasione *L. pupillus. ff. de oblig. & act. publicè ex cathedra ager*

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DN. THEOPHILVS MARTINVS

Wipfch/

Natus die 10. Maji an. 1703. Wederingæ, in vico Ducatus Magdeburgici, patre Mag. MARTINO *Wipfch*, tunc temporis parochò ibidem, matre ANNA DOROTHEA, Consulis Wolmirstadiensis LEHMANNI filiâ. Parentes hi filium hunc suum sancto regenerationis lavacro initiari curarunt, progressuque temporis, & ætate crescente, educationi ejus prospexerunt informatoribus privatis, studiisque eundem consecrarunt, patreque mortuo, mater eum disciplina Orphanotrophei Hallensis commendavit, inde se contulit Islebiam, & in Gymnasio ibidem sub informatione Dn. WINNII, Cantoris Andreani & Directoris Chori Musici, Dn. TOELCKII, tunc collegæ tertii, nunc Conrectoris, & Dn. M. REINECII, tunc Conrectoris fundamenta studiorum humanorum posuit, quos vivos summâ observantiâ colit. Porro per semestre in prima classe ibidem, Rectoris tunc temporis M. ELLÆ FRANCKII informatione usus, insuper studia scholastica Zizæ in Gymnasio sub Rectore M. GLEITSMANNO, & Conrectore M. HERZOGIO, absolvit. Jenæ postea Dn. M. HENRICVM KOELERVM super omnes partes philosophicas & Matthesin audivit. Item apud Dn. Profess. & Consil. aulic. D. JOANNEM SALOMONEM BRUNNQVELLIVM, & D. JOH. ACHAT. BECKIVM, collegia juridica institutionum, Digestorum & feudalia, juris canonici, ad Schilteri institutiones, Jus publicum insuper collegia practica frequentavit. Absolutis studiis Academicis Isenbergam se contulit, inde reversus Islebiam


biam & dum Prætori urbis, Jcto celeberrimo Dn. CAROLO
GOTHFREDO DOEBELIO, quem Patronum suum longè
venerandum agnoscit, à manibus fuit, ibidem se in praxi
exercuit. Tandem Facultatem juridicam hujatam accessit,
& ad consuetum examen rigorosum Candidatorum: admitti
petiit, admissus, textus ex utroque jure ante examen trans-
missos doctè resolvit, & ad quæstiones propositas ita respon-
dit, ut ad ulteriora specimina, imo ad gradum Doctorem
admissus sit. Lectionem itaque cursoriam ad *L. pupillus 59.*
ff. de Obl. & Act. horis confuctis, & Disputationem inaugu-
ralem

DE FIDEICOMMISSO

SVB CLAVSVLA:

QVICQVID POST MORTEM SVPERFVERIT, RELICTO

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Dominus Re-
ctor, nec non Domini Proceres & Cives Academici perhu-
maniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juri-
dicæ 21. Augusti MDCCLXXXV.



154562

ULB Halle
005 372 046

3



R







24

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JO. PHILIPPUS
Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad L. Pupillus 49. ff. de Oblig. & Act.

ET
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD DIEM XXII. AUGUSTI M DCC XXXV.

LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME
INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

